



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Prophetia Apocalyptica S. Joannis Apostoli**

**Kircher, Heinrich**

**Coloniæ Agrippinæ, 1676**

Verba Apocalypseos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39100**

## TRACTATUS XVI.

## IN PARTEM PRIMAM CAPITIS XII.

Assignemus duos Tractatus huic Capiti: & dividamus illud in duas Partes. quarum prima de Muliere parturiente: de Dracone: de raptu filii & prælio connexo. Sequentis Capitis parte & Tractatu de alis quæ dantur mulieri: de volatu à facie serpentis: de flumine post mulierem, & de nova ira Draconis meditatâ.

## VERBA APOCALYPSEOS.

(Cap. 12. Versu 1.) *Et signum magnum apparuit in cælo: mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite corona stellarum duodecim: (v. 2.) Et in utero habens, clamabat parturiens, & cruciabat, ut pariat. (v. 3.) Et visum est aliud signum in cælo: & ecce draco magnus rufus, habens capita septem, & cornua decem, & in capitibus ejus diademata septem: (v. 4.) & cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram; & draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut cum peperisset, filium ejus devoraret. (v. 5.) Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes Gentes in virga ferrea: & raptus est filius ejus ad Deum, & ad thronum ejus? (v. 6.) Et mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum à Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta. (v. 7.) Et factum est prælium magnum in Cælo: Michaël & Angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli ejus. (v. 8.) Et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cælo. (v. 9.) Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & satanas, qui seducit universum orbem: & projectus est in terram, & Angeli ejus cum illo missi sunt. (v. 10.) Et audiivi vocem magnam in cælo dicentem: Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus, quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. (v. 11.) Et ipsi*

Pars II.

B

vicerunt

vicerunt eum propter sanguinem agni, & propter Verbum Testimoniū sui, & non dilexerunt animas suas usque ad mortem. (v. 12.) Propterea letamini Cæli, & qui habitatis in eis. Va terra, & Mari, quia descendit Diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet. (v. 13.) Et postquam vidit draco, quod projectus esset in terram, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum.

## S. I.

## Mulier parturiens.

Signum  
magnū:

**S**IGNUM MAGNUM; id est magnæ significationis hieroglyphicon: à quo hæc secunda Pars Apocalypseos incipit idcirco; quia sicut in prima Parte omnia dirigebantur ad sponsum Agnum, sic omnia hujus IIæ Partis ad Mulierem Sponsam Agni: à qua exorditur & in quam definit scriptio hujus Partis.

Exordiū  
& Scopus  
Partis IIæ.

Mulier:

Hæc MULIER est Ecclesia: prævidetur IN COELO, quia illuc prædestinatur ut sit uxor Agni: AMICTA SOLE justitiæ de quo Malachiæ 4. v. 2. calcat Lunam (symbolum inconstantia & mutabilitatis) cum omnibus sublunaribus rebus; puta, divitiis, delitiis, honore terrenis: CAPITE & fronte CORONAM præfert DUODECIM Apostolorum, qui sunt lucidissimi ac primæ magnitudinis astrorum, id est Episcoporum, ut expressè explicantur Stellæ Apoc. 1. v. 20. ac velut Zodiacus in firmamento Ecclesiastico.

Parturit: Ipsa fecunda à Spiritu S. & PARTURIENS, per Evangelium, prolem Christianam electam. illam prolem

ad quam Apostolus Gal. 4. v. 26. *quæ sursum est Jerusalem libera est, quæ est mater vestra: illam prolem de qua ibid. v. 19. quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis:* illam de qua S. Augustinus in psal. 142. (de hac loquens Muliere Apocalypica quam appellat Civitatem DEI, & de partu ejus) postquam se fundasset in doctrina Apostoli de membris Christi & Capite tanquam de uno, ex epist. ad Gal. 3. v. 16. sic concludit: *si & nos semen Abraha, ergo & nos Christus: quomodo unum corpus (sumus) multa membra, ita (sumus) & Christus;* ex 1. Cor. 12. v. 12. *Et, quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis;* Gal. 3. v. 27. Et in psalmum 122. ex eodem Apostolo, ibid. cap. 4. v. 7. *FILIUS sumus, quia sic MULTI sumus, ut in illo UNUS simus.*

Hanc sobolem dum parturit, CHRISTUM in membris suis novis CLAMAT in CRUCIATU & persecutione, orando ut feliciter pariat. *Parit enim,* ait S. Aug. (in psal. 126.) *Ecclesia filios conjunx Christi, & si parit, parturit.*

Christū  
in suis  
membris,

Clamat  
præ cruci-  
ciatu.